

alia, & hoc fit per separationem & solutionem elementorum, quæ in generatione Mercurij sunt connexa scilicet aquæ & terræ. Et eædem partes dum purgântur in natura per conuersionem coniunguntur, & plus se diligunt propter eorum mundificationem, quam antea in natura. Sed hæc separatio fieri non potest in corporibus nisi per spiritum, sic ars transcendit naturam in vna via, licet artificialia bene subito fiant, quæ tamen antea naturaliter prolixæ fuerunt. Non tamen credas, quod hæc sint elementa vulgaria, scilicet aqua nubis vel consimilia, Sed frigidum & siccum terra, frigidum & humidum aqua, humidum & calidum aer, calidum & siccum ignis. Et sic sunt in naturis elementorum. Tamē nequaquam ars potest partes connexas in generatione ita separare, quod simpliciter in elementa quæ fuerunt transmutentur, cum prima natura vnā qualitatem mutauit in aliam, taliter ars separare bene potest, vt humidum a sicco, frigidum a calido, Sed tamen vna qualitas adhuc de naturali commixtione possidet naturā alterius in aliqua parte, & per hæc possunt per artē viceuersa coniungi, sicut diuisa sunt. Si illud non esset, quod vna qualitas participaret naturam alterius, scilicet aqua naturam terræ in frigiditate, aer naturam aquæ in humiditate, & sic de cæteris.

Tunc sequeretur, quod naturale opus esset totaliter

ter